

DK. 194. (38)

1676-

W. 194.

L. Joach Seller


X 202283A

Y c
6210

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
ad
LUTHERANAE REFORMATIONIS
REMEMORATIONEM,
EX SERENISSIMI SAXO-
NIÆ ELECTORIS
MANDATO

Ipsa XXXI. Octobr. quo superiori
Seculo Ao. M. D. XVII. feliciter cœpta
est, solenni Oratione in Templo Academico
celebrandam,
UTRIUSQUE REIP. PROCERES AC.
Cives Academicos
invitat.

*Lutherus cum Jeremia optime compa-
randus.
S. de Luthero altero Jeremia*





Cùm plurima in Luthero effulserint singularissima & planè divina, reperti sunt ex Theologis nostratibus haud pauci, qui Viris coelestissimis Deoque plenissimis, Prophetis videlicet, Evangelistis & Apostolis comparare illum sustinuerunt. Hos inter Cyriacus Spangenbergius in Theandro Luthero seu in Concionibus de Luthero habitis, Eundem in IV. tanquam HELIAM tertium, in VI. tanquam PAULUM alterum, in VII. tanquam JOHANNEM Evangelistam non infeliciter representavit. Nos Lutherum JEREMIÆ instar quoddam gerere si dixerimus, nihil absoni, opinor, dixerimus. Ut enim Jeremiam Prophetam inter & Lutherum discriminis sit non parùm, in quibusdam tamen, si vel primum saltem Jeremiæ caput pensi habeamus (cætera enim persequi nec instituti ratio, nec arctatum Programmatis spatium admittit) mirificè inter se conveniunt. Ac primum quidem Lutherum non minùs quam Jeremiam in utero ad stabulum Ecclesiæ repurgandù divinitus fuisse destinatum, ambigere minimè nos sinunt tum facta ejus Heroica, ac prorsus obstupescenda, tum Virorum sanctissimorum vaticinia, nativitatem ejus & reformationem antegressa, Johannis Hussi putà, Hieronymi Pragensis, Hildenii Monachi Franciscani, Fleckii aliorumque à (a) Wolfio & (b) Gerhardo studiosè conquisita; de Angelo Apocalyptico illo, per medium cœli volante ut taceamus, quo Lutherum præadumbrari vero admodùm similis & tantùm non indubia Theologorum plurimorum est assertio. Deinde Lutherum æqvè ac Jeremiam ad gentes evellendas ædificandasque excitatum à DEO esse, nemo nisi contumacissimus Meritricis Babylonicae bastiator abnuet. Ita autem Divina Majestas ad Jeremiam: *Ecce ego constitui te hodiè super gentes, & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes; & ædifices, & plantes.* Equidem divinissimi quid in verbis hisce advertentes nonnulli Patres ea non in Jeremiam cadere, sed in CHRISTUM potiùs, cujus typum Jeremias gesserit, existimârunt. Sic nam-

a) Memorabil. Centur. XV. b) Gerhard. Confess. Cathol. p. I. p. 147. ad 154.

namque (c) Ambrosius: *De Christo animadvertit Propbeta dictum: Ecce dedi verba mea in os tuum, & constitui te hodie super gentes & regna, eradicare & destruere, & perdere, & edificare, & plantare.* Nam licet frequenter DEUS locutus sit in Prophetis, in quo tamen expressius, quam in suo locutus est filio, qui virtutem omnem exprimens Patris ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Non ergo Jeremias, qui tempore captivitatis suscepit exilium, sed Dominus Jesus suis verbis eradicavit ex intimis pectoribus viti gentilium, perfidiam nationum, & versutarum cogitationum prava commenta destruxit, atque omnia vestigia iniquitatis abolevit. Deinde infudit postea fidem & continentiae disciplinam, ne tanquam in vase corrupto confusione vitiorum coalescerint sacramenta virtutum. Nec nisi de CHRISTO id verborum Hieronymus, Greg. Nyssenus, Menna Episcopus Constantinopolitanus, Rupertus Abbas, aliiq; plures à (d) Michaële Ghislerio & (e) Christophoro Castro allegati interpretantur. At verò in Jeremiam quoque quadrare hæc verba, frequentissimus sacrarum literarum mos, quo quis facere perhibetur, quod faciendum denunciat, de facili nobis persuadet. Quemadmodum enim mandare (f) sacerdos dicitur, quem lepra expertem, & contaminare contra, quem immundum pronunciat: ita gentium destructio & restauratio Jeremiæ tribuitur, eò quod has gentes evellendas, destruendas, disperdendas ac dissipandas, illas ædificandas plantandasque prædicturus esset. Quamquam nihil causæ est, quò minus ad quemlibet verbi Divini præconem accommodari hæc verba posse, cum Cornelio à Lapide, Sanctio, Castro, Ghislerio, aliisque interpretibus affirmemus. Enimverò prædicatorem quemvis & hortulanum & cæmentarium agere (his enim duobus similibus hinc DEUS utitur) fas omninò ac justum est. Debet is quippe ab auditorum cordibus, dicente (g) Gregorio, spinas vani amoris evellere, & statim in eis sanctæ prædicationis verba plantare; debet item initium à ruina vitiorum facere, templumque à Diabolo destructum ac labefactatum reparare iterum ac suffulcire. Jam Luthero præ cæteris hæc talia optimè aptissimeque omnium attribui posse quotusquisque non videt? Erat id temporis Ecclesia hortus vel ager, in quo plus superstitionis, quam religionis Christianæ (neque enim nulla in Papatu ante Lutherum erat Ecclesia, quod cum Theologorum alii, tum Höpfnerus maximè & Balduinus Dissertationibus

c) *Exposit. in Ps. 43. v. 3.* d) *Comment. in Jerem. f. 66.* e) *Comment. ad h. l. f. 11.* f) *Levit. 13. v. 6. & 11.* g) *lib. 3. Pastoral. c. 35.*

bus integris demonstrarunt) plus mendaciorum quam veritatis, plus fraudum quam pietatis, plus nundinationum quam sanctitatis, plus ceremoniarum & nugatoriorum operum quam rituum verè sacrorum & virtutum. Erat ædificium non tam verbo divino, & merito CHRISTI tanquã solidissimis omnium fundamētis, sed vanis traditionibus, sed operibus humanis tanquã stramineis columnis superstructum; quos Ecclesiæ defectus jam diu ante Lutherum longè plurimi Veritatis Testes à Flacio, Wolfio, (b) Wolf. Wissenburgio, Simone (i) Schardio, & (k) Melch. Goldasto collecti & agnoverunt & deplorarunt. Lutherus itaque *Geonivn* & hortulanum egit & architectum. Neque enim vitiorum tantum infelix lolium, sed tribulos etiam & lappas traditionum Papalium, multiplicationem nempe sacramentorum, prohibitionem calicis Eucharistici, sacrificium missaticum, religiosam sanctorum invocationem, & reliquiarum venerationem, purgatorium, indulgentias, primatum Ecclesiæ Romanæ, necessarium sacerdotum coelibatum, idque genus alia eradicavit. Neque supplementarios tantum Papanæ Ecclesiæ lapides, A. Alefeldium, P. Amnicolam, J. Antonium, Fr. Arnoldum, Th. Cajetanum, A. Catharinum, J. Clichtoveum, J. Cochleum, H. Dungersheimium, J. Eckium & Emserum, J. Fabrum, Hasenbergium, Hochstratum, Mensingerum, Aloyf. Martianum, Sylv. Prieriatem, Th. Radinum, P. Sylvium, Staphylum, C. Sazgerum, H. Vejum & Barthol. de Ulingen (hi enim omnes post coeptum Reformationis opus in Lutherum insurrexerunt, testibus scriptis eorundem in publica Academia hujus Bibliotheca extantibus) sed & saxa quadrata, imò Petram ipsam, seu Petri illum, si Divis placet, Vicarium concussit atque deturbavit; factoque adeò Reformationis auspicio doctrinam Prophetarum & Apostolorum instauravit denuò, & fidem verè salvificam hominum cordibus non sine notabilibus divinissimæ vocationis indiciis implantavit; occasionem ipsi dantibus præter Dominicanos Papalium indulgentiarum nundinatores (prout ipsemet (l) Labbéus Jesuita non diffitetur, in Lutherum aliàs virulentissimus) tum Cleri corruptissimis moribus, tum Præsulum & Episcoporum negligentia. Lutherum equidem immediatâ, quã Jeremias, vocatione ad gentes evellendas instaurandasque à DEO excitatum, asserere nobis non sumimus; ordinariè tamen ad id muneris vocatum esse, sive presby-

b) in *Antilogia Papa edit. Basil. l. A. 1555.* i) in *Synag. Tractatum de Imperiali jurisdictione, ed. 1609.* k) in *Tom. III. Monarchia S. R. Imp. ed. 1668.* & *Apologia Principum R. l. pro Henrico IV. ed. 1611.* l) *part. III. Chronol. Historica f. 472.*

teriam ejus, sive publicum docendi munus, seu Doctoratum ipsum spectemus, iterum atque iterum asseveramus; quod & contra Serarios, Gregorios, Ungersdorffios, Haunoldos Walenburgios, Erbermannos, Frommios, aliosque Lutheranae vocationis allatratores jamdudum Heilbrunneri, Hunnii, Gerhardi, Brochmandi, Mülleri, Tenzelii, aliique nostratium plurimi evicerunt. Quamquam & extra ordinem vocatum Lutherum esse, tum Martius ille animus, seu, ut rectius dicamus, spiritus Helianus, tum facta ejus planè admiranda & mirificissima sat illustri sunt documento. Neque enim dum ordinariè vocatum Lutherum agnoscimus, Eum coelitus missum negare, quæ Cornelii Jansenii, Theologi Lovanien-sis collectio est, habemus necesse. Nam uti Augustinus ordinariè vocatus ad Episcopatum, divinitus tamen excitatus & coelitus missus est ad pravitates Hæreticorum evellendas; sic & Lutherus ordinarius Brædicator & Theologus Wittebergensis, si omnia pensius examinamus, speciali tunc temporis Dei gratia ad seriam & penitioem scripturæ lectionem, veritatisque inventæ intrepidam confessionem fuit excitatus; quem in modum & Gisb. (m) Voëtius, celeberrimus Reformationum Theologus Jansenio ad objectionem illam respondet. Sed ad Jeremiam redeundum, de quo DEus ter. opt. max. sub finem primi Capitis: *Ego dedi te hodiè in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum areum super omnem terram Regibus Judæ, Principibus ejus & sacerdotibus, & populo terræ, Et bellabunt adversum te, & non prevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Quæ verba quam pulchrè, quamque convenienter adaptari Luthero queant, næ cæcus sit, quin videat. Nam & Lutherus unus cum præpotenti illo Monarcharum omnium Monarcha (talem enim se Papa venditat) unus cum universa Romanorum Pontificum clientela, unus cum toto propemodum mundo cõgressus est solo fretus Dei præsidio, ac solius scripturæ gladio armatus; nec congressus tantum fuit cum tot hostibus, sed & invictus contra illos instar munitissimæ civitatis, instar columnæ ferreæ & muri ahenei perstitit. Et quamvis ab eo usque tẽpore horrendum in modum frendat Romanus Ve-Jupiter ob acceptam à Luthero asseclisq; ejus plagam, lapidemque omnem moverint moveantque adhuc Pontificii, Esavitæ inprimis, ut Ecclesiæ Lutheranae sub intolerabile illud jugum retrahantur, stat tamen Lu-
thera-

m) in desperata causa Papatus f. 174. Conf. Martin. Schook, in desperatissima Papatus causa p. 52. & seqq. & Hornbeck, in summa Controvers. l. 9. p. 615.

therana h.e. Prophetica Apostolicaque doctrina per DEI gratiam incō-
 cussa adhuc, stabitque æternum (nam VERBUM DOMINI MANET
 IN ÆTERNUM,) quamvis contrā insurgat Satanas, tumultuetur Anti-
 Christus, imò Orbis & Orcus infremat. Quæ omnia uti maxima & pla-
 nè admiranda sunt indulgentissimi Numinis beneficia, per alterum Je-
 remiam, per Lutherum, inquam, nobis præstita, ita summâ cum animi
 gratitudine rememoranda omninò, solenni que laudum publicarum præ-
 conio sunt celebranda, præsertim cum, tale quid ut faciamus, SERENISSI-
 MI ELECTORIS piissima voluntas ac jussio nos obstringat. Nam
 nisi DEUS hunc Jeremiam nobis cœlitus demisisset, nisi evulsa apud
 nos esset Idolomania illa Pontificia, ad quam fervidas operum depropera-
 tiones (loquimur cum (n) Henrico Moro gravissimo Angliæ Theologo)
 à duris illis Pensi - exactoribus hodieque compelleremur! Quæ forent ab Ec-
 clesia ad Ecclesiam, à delubro ad delubrum præfestinationes! Quæ ante hu-
 jus, quæ ante illius Sancti simulacrum murmura vel ejulatus! Qui pecto-
 rum planctus, frigidorumque pavimentorum deosculationes! Quæ jejunia
 ac vigilia non quidem ad emendationem vitæ, sed ad satisfactionem!
 Quàm longè productæ Peregrinationes à Regione ad Regionem, & ab uno
 terræ limite ad alterum! Quæ supplicationes oblationesque, ut simulacrum
 aut saltem Sacerdos supplicanti amicè arrideat! Quæ olidis Reliquiis im-
 pressa oscula! Quæ cœlibatus Vota, Cibisque Abstinencia? Quæ flagellati-
 ones corporis & excoriationes! Quæ nudationes Indulgentiarum! Quæ
 reverentia servilitasque ergà sacerdotem! Quàm stricta jejuniorum publi-
 corum festorumque observatio! Quæ afflietantes scrupulositates circa opini-
 ones inutiles! Quàm abjecta positura, lugubresque vultus in coactis confes-
 sionibus! Quæ indumentis religiosi sui ipsorum contectioes! Quæ in ere-
 mos ac solitudines exilia! Quæ in cœnobia ac Monasteria incarcerationes
 ac clausura! Quæ moribundorum hominum in Monachorum Cucullos irre-
 ptiones! Quæ in lectis ornerosis volutationes! Quæ aspersiones aquæ lu-
 stralis! Quæ unguentis oleisque exorcizatis inunctiones & illinitiones!
 Quæ nominum referendorū in album hujus vel illius sanctæ Confraternita-
 tis ad merita participanda maturaciones! Quæ amputationes ac mutila-
 tiones sortium Liberorum pro missis precibusque conductitiis ad excantan-
 dam moribundi hominis animam ex imaginario hoc Purgatorio! In summa,
 ad quàm infinitos circuitus ærumnarum ac laborum animi juxta atque
 corpo-

n) in Oper. Theol. 1675. Londini editis f. 505.

214/6210
corporis hic Tyrannus Aegyptiacus suos mastigias compelleret huius unius in-
feste opinionis scuticâ, Christum nimirum non esse passum pro remissione
pœnæ peccatorum, sed reatus duntaxat, quique ad cælum proficisci cupit,
eum propriis sumptibus impensisque illuc itinerari oportere, propriâque
personâ satisfacere pro peccatis suis ac corruptionibus tali
modo, quem adulterata hæc Ecclesia ipsi præscripserit? Sed hæc omnia fu-
sius persequetur Pereximius doctrinaque variâ instructissimus Dn. M.
JACOBUS FRIDERICUS MULLERUS, Syrâ Variscus, sacrorum stu-
diorum Cultor perindustrius in Oratione comta atque erudita, quâ LU-
THERUM tanquam *Everforem & Instauratorem*, occasione ex supra di-
cto Jeremiæ loco arreptâ, exhibuit. Quæ cum ipsâ Sanctorum omni-
um vigiliâ, die videlicet Octobris XXXI, quo Papatum evellere sub-
ruereque aggressus est Lutherus, post sacra in templis oppidanis petita
acta recitanda in æde nostra sit, UTRIUSQUE REIP. PROCERES ac CI-
VES ACADEMICOS ad audiendam illam officiosè ac perhumaniter
invitamus, pietatis quemq; & gratitudinis debitæ in DEUM, decentisque
erga NUTRITIUM CLEMENTISSIMUM obsequii commonentes. PP.
Lipsiæ d. XXIX. Octob. An. ær. Chr. M. DC. LXXVI.

Lipsiæ, Literis COLERIANIS,

V077

m. g.



DKR. 194. (38)
W. 194.

R
ACADE
LUTHERA
REMEN
EX SE
NIA

Ipso XX
Seculo Ao. M
est, solenni C

UTRIUSQV
Ca

Lutherus

S. d.

331

SIS

ONIS
EM,
CO-

ori
cepta
ico

S AC.

mpa-
nia

Y^c
6210

